

Hoc ut stadium velocibus decurram passibus, age, contemplare (I) *generalem omnium metaphorarum conditionem.* Sanè metaphoræ ambitu nil significatur nisi *tropus*, quæ vox quædam, quæ uni rei propriè competit, ad alteram ob similitudinem transfertur, ornatus ac illustrationis gratia. Exemplorum luce obscuritatis pellam noctem. Dulcissimus noster Servator *Luc. XIII. 32*, Herodis Antipæ, famigeratissimi illius Tetrarchæ (quod nomen juxta *Bernh. Lamy in Apparatu Geographico, subnexo Commentario in Harmon. 4, Evangelist. p. 293* talem designat, qui quartum in Imperio Romano dignitatis gradum obtinet, suffragante *Dicelio in Geograph. 8. Lib. 4. Cap. I quest. 6. p. m. 1635.*) mores vivis delineaturus coloribus, εἰπατε, inquit, τῇ ἀλώπεκι ταύτῃ, *dicite vulpi isti.* Ecce Herodes audit *Vulpes* per Metaphoram. Vox enim *Vulpes*, quæ animali notissimo in genuina convenit significatione, transfertur ad *Herodem*, Magni Herodis Filium, ob similitudinem, quæ *Herodem* inter atque *Vulpem* intercedit. Sicuti enim *Vulpes* callida sua fraudulentia, fraudulentaque astutia aliorum animalium perniciem accelerare aptus natus est; Ita quoque *Herodes* vulpina verusutia clandestinas infidias struebat Christo, *Gallina per-vigili, Matth. XXIII. 27.* vid. *Franz Hist. Anim. P. I. Cap XVII. p. m. 145. sqq.* Interea *Lightfootus opp. Vol. II. p. m. 537. sq.* alludere existimat Salvatorem ad vulgare adagium, quod circumfertur *Megillah fol. 16 2. תעלה בעיניה סגור לירה* *Vulpem in tempore suo* (*Gloss. In prosperitate sua*) adora, ut sensus huc redeat: *Ast ite vos, & dicite huic vulpi, utcumque in prosperitate sua se volutanti, quod ego nunquam sum ei adolaturus, aut ab opere meo propter ejus formidinem cessaturus, sed ecce ejicio demonia.* Adesdum aliud exemplum